



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

sint vtraque suis gesta naturis, vnum tamen Christum Iesum eum memento esse, qui vtrumque est. *Item post pauca:* Hæc igitur demonstranda a me paucis fuerunt, vt vtriusque naturæ formam tractari in Domino Iesu Christo meminissimus, quia qui in forma Dei manens, formam serui accepit, ipse diuinitatem nequaquam amisit.

I V.

Sancti Athanasii Alexandrinæ ecclesiæ episcopi & confessoris ad Epictetum Corinthiorum episcopum: Quomodo autem vel dubitare ausi sunt, qui dicuntur Christiani, si Dominus, qui ex Maria virgine processit, * filius quidem substantia * Deus & natura Dei est, id vero, quod est secundum carnem, ex semine Dauid est & carne sanctæ Mariæ? * Deus quidē ex

V.

Sancti Ambrosii episcopi & confessoris Mediolanensis ecclesiæ, quod misit ad imperatorem Gratianum in libro secundo de fide inter cetera: Vnde illud quod lectum est, Dominum maiestatis crucifixum esse, non quasi in maiestate sua crucifixum putemus: sed quia idem Deus, idem homo, per diuinitatem Deus, per susceptionem carnis homo, Christus Iesus Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors vtriusque naturæ, id est, humanæ atque diuinæ, in natura hominis subiit passionem, vt indiscrete, & Dominus maiestatis dicatur esse, qui passus est, & filius hominis, sicut scriptum est: *Qui descendit de caelo.* *Item alio loco in eodem libro inter cetera:* Sileant igitur inanes de sermonibus quæstiones, quia regnum Dei (sicut scriptum est) non in persuasionem verbi est, sed in ostensione virtutis. Seruamus distinctionem diuinitatis & carnis. Vnus in vtroque loquitur Dei Filius, quia in eodem vtraque natura est. Et si idem loquitur, non vno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones. Quasi Deus loquitur quæ sunt diuina, quia Verbum est: quasi homo dicit quæ sunt humana, quia in ea substantia loquebatur. *Item eiusdem in libro de incarnatione Domini contra Apollinaristas:* Sed dum hos redarguimus, emergunt alii, qui carnem Domini dicant & diuinitatem vnus naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Iam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidiæ robur adolescit, vt maiore contentione asserant Patrem & Fi-

Ioan. 3.

Ephes. 4.

lium & Spiritum sanctum vnus non esse substantiæ, quia isti diuinitatem Domini & carnem substantiæ vnus dicere tentauerunt. *Item infra:* Et hi mihi frequenter Nicæni Concilii tractatum se tenere commemorant. Sed in illo tractatu patres nostri non carnem, sed Dei Verbum vnus substantiæ cum Patre esse dixerunt. Et Verbum quidem ex paterna processisse substantia, carnem autem ex Virgine esse confessi sunt. Quomodo igitur Nicæni Concilii nomen obtenditur, & noua inducuntur, quæ nunquam nostri sensere maiores? & reliqua. *Item eiusdem ad* * *Sabinum*

episcopum inter cetera. Vnde pulcre Apostolus eiusdem verbi repetitione vsus est, dicens de Domino Iesu Christo: *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æ-* Philip. 1.

*qualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Quid est in forma Dei, nisi in plenitudine deitatis, in illa perfectionis diuinæ expressione? Ergo cum esset in plenitudine diuinitatis, exinaniuit se, & accepit plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma. Vnde & Dauid dicit: *Speciosus forma præ filiis* Psal. 44.*

hominum. Concluditur Apollinarista, nec quo se vertat habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixit, formam serui accepit, non seruus locutus est. Iterum ergo interrogo: *Quid est, in forma Dei?* Respondit in natura Dei. *Sunt enim* Galat. 4.

(ait Apostolus) qui non sunt natura dii. Quæro quid sit, *formam serui accipiens?* Sine dubio perfectionem naturæ, & conditionis, vt dixi, humanæ; vt esset in hominum similitudine. Et pulcre, non carnis, sed hominum dixit similitudinem, quia in carne eadem est. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Vnde & propheta ait: *Et homo est, & quis cog-* Jer. 17.

noscit eum? Homo secundum carnem, sed vltra hominem, diuina operatione. Denique cum leprosum tangeret, homo videbatur: sed vltra hominem, cum munderet. Et cum Lazarum mortuum fletet, mortuum quasi homo flebat, sed supra hominem erat, cum mortuum vinctis iuberet pedibus exire. Homo videbatur, cum penderet in cruce; sed supra hominem, cum reseratis tumulis mortuos suscitaret.